

quem non probant, nec explicant, nec ostendunt; quod esset Philosophorum; sed cum *Spinoza* eum sine probatione assumunt & supponunt. Cum ergo nulla *possibilia* in hoc mundo admittant, nisi actualia, in alio mundo fingunt *possibilia*, sive *eventus contingentes*, qui non aliter ad existentiam possunt peruenire, quam per seriem innumerarum rerum, quæ ante ipsas euenerunt; & cum illis coniunctæ sunt, ita ut, quando fundamentum ipsarum ostendendum est, istud semper nouum habeat fundamentum sine fine, siue in infinitum. Qui tamen eventus in alio mundo & rerum serie rursus essent certi & necessarii. Hæc tamen *possibilia* dicuntur, quatenus non involvunt contradictionem, & in alio mundo fieri possent, & certi essent eventus.

XLIX. Credo tamen ipsos Deo velle tribuere scientiam omnium rerum & euentuum huius mundi; quemadmodum spiritum (etiam Divinum) in genere definiunt, quod sit *substantia vniuersi representatiua*. Et differentia specificæ horum simplicium dicuntur esse desumptæ a modo representandi vniuersum. Sed mirum est, quod intellectus Diuinus non dicatur *simultanea & distincta*, siue perfecta & adæquata, *representatio huius mundi*, sed omnium *possibilium*, nim. quæ fieri possent in alio mundo, & ex alia rerum serie & nexu necessario sequerentur. Quid mysterii heic subit, non capio. Ego heic cum Cl. Engelhard lubenter fateor, me non capere auctoris mentem, quam obscuris verbis inuoluit, & non explicat; quod candidi est Doctoris. Suspicio tamen, ipsos nomine *possibilium* completi euentus omnes *necessarios* huius mundi; & porro *omnia possibilia in alio mundo*. Vide Methaphys. Cl. Wolfii §. 567-569. 573-575.

L. Possem quoque merito in hac descriptione *intellectus Diuini* desiderare mentionem obiecti primarii, naturalis & necessarii, quod est Deus ipse, Diuinæ Perfectiones; *Diuinus intellectus* utique necessario se ipsum, suam essentiam, suasque perfectiones, plene, perfecte & adæquate debet cognoscere, intelligere, & si ita velis, sibi *representare*; imo in sua omnifufficiencia omnia *possibilia*; uti & ex suo decreto omnia *præterita, præsentia & futura*. Verum non tantum obscura & insufficientis hæc est idea *intellectus Diuini*, sed & imperfectissima Dei ipsius idea datur; quia tantum *potentia representandi*, siue *specularis*, ei tribuitur; ut cum Deum definiunt, quod sit *substantia omnia vniuersa possibilia vnico actu distincte*, seu